

06.12

SPRAWOZDANIA SZKOLNE
Książnica
Kopernikańska
w Toruniu
SCHULPROGRAMME

INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

ANNI MDCCCXLV A DIE III APRILIS

INSTITUENDARUM.

PRAEMISSA EST DISSERTATIO: „QUALIS MORS COGITANDA SIT
SECUNDUM DOCTRINAM RELIGIONIS REVELATAE,“ QUAM
SCRIPSIT PETR. THEOD. SCHWANN.

Brunsb^{erg}ae,
Impressit C. A. Heyne.


1845



INDEX LECTIUM

LIBRARIUS: ...
TITULUS: ...
AUCTOR: ...

KSIĄZNICA MIEJSKA
IM. KOPIŃSKA
W TORUNIU



ab 1472

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBURGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Omnes fere, qui investigant res naturales et humanas, sic in hoc studio versari solent, ut, si cujusque rei invenerint causas proximas, videantur sibi habere cognitum penitusque perspectum, quid quaeque sit et valeat; nimisque incuriosi, unde, quae observatione habent explorata, repetenda sint et cur talia reperiantur atque omnino sint, id ne quaerant quidem aut negent quaerendum esse; fuisse enim illa et futura esse semper. Ut si pestilentia pervadit urbes et agros celerique morte rapit innumeros aetate florentes; si fluminibus exundantibus vel incendiis delentur segetes operaque hominum, pagi et oppida: quaesitant omnes, quae sit causa tot tantorumque malorum, idque summo jure; licet enim sperare, posse illa in posterum hominis solertia praecaveri et evitari. Quae vero quaestio est major et gravius, ea plerumque non ponitur; neque enim sic quaeri solet: cur tandem Natura tantum valeat, ut rebellet contra hominem debeatque ejus opera; cur tandem fiat, ut Natura, cujus sine omni dubio est deservire homini, saepe non serva sit, sed domina domino suo infestissima et perniciosissima? Et tamen patet in promptuque est, qui satis habeant dixisse: sic quidem fieri, scitum esse illud poëtae: „*Elementa odisse opera hominum*,“ hoc igitur qui dicant, eos manifestum est nihil dicere; quod enim ita fit, hoc ipsum alienum est ab ea conditione et lege, qua Natura divinitus creata et facta est.

Uti, si accidunt ea, quae diximus, sic etiam, si quis *moritur*, investigari solent causae proximae; cur autem homini omnino moriendum sit, id non quaeritur; et si tu

quaeris, sic plerique breviter respondent, ut dicitent: omnibus hominibus esse moriendum; hac conditione hominem natum esse, ut moriatur, neque quaerendum esse ulterius. At formidat homo mortem et cohorrescit exanimati corpus. Qui potest vero, si mors naturae humanae conveniens est, illa movere formidinem et horrorem? Qui potest illius, quod Naturae est congruens, sensus esse contrarius?

Quae cum ita sint, videamus Commilitones carissimi, quid libri sacri, quibus continetur religio revelata, doceant *esse mortem*.

Hi igitur libri testantur, mortem — quam dicunt discessum animae a corpore ac dissolutionem conjunctionis, quae intercedat inter vivi hominis animam et corpus¹⁾ — repetendam esse a peccato originali, h. e. ab illo peccato, quod in Paradiso commiserint primi parentes. Tales enim primos illos homines a Deo creatos et factos esse, ut non solum eorum anima sed etiam corpus immortale esset;²⁾ sed quum peccaverint contra Deum, morti abnoxios factos esse et ipsos et totum genus hominum, qui, quum ab illis originem ducant, parentum infecti sint peccato et damno. Teste utor Paulo apostolo, cujus haec sunt verba notissima et luculentissima: „*Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*“³⁾

Hoc igitur docent libri sacri: si nullum hominum esset peccatum, nullam omnino eorum fore mortem; nullam fore dissociationem duarum partium, ex quibus constet homo, animae et corporis; corpus enim non fore ut esset caducum, et dissolutum in pulverem rediret eo, unde factum sit. Quum vero genus humanum infectum sit peccato primorum parentum, inde factum esse, ut quidquid hominum vivat in terra, moriendi necessitati obnoxium sit; qui ab Ada orti sint genitore, eos mortem debere Adae peccato; omnibus esse moriendum, quia omnes in Ada peccaverint.⁴⁾

Quum igitur mors repetenda sit a peccato, vere dicitur, Deum Creatorem non esse auctorem mortis, sed potius vitae sempiternae.⁵⁾ Homo ipsemet sibi paravit

¹⁾ ad Phil. I, 20—24. — ²⁾ Sap. II, 23. — ³⁾ ad Rom. V, 12. — ⁴⁾ Quod omnibus hominibus moriendum est, Adam in causa est; quando vero et quali quisque intereat morte, id ipse mereri potest. Ut moriatur neque permaneat in terra et Sanctus et qui iudicium sententia morte damnatus e vivis tollitur, illud quidem fit per peccatum originale; ut vero maleficus haecce turpi non alia intereat morte, id meruit ipse. — ⁵⁾ Sap. I, 13, 14.

mortem, quod elatus superbia disjunctus se a Domino suo et patre amantissimo. Deficientem consecuta est mortalitas factaque mutatio in malam partem. Atque in hanc quidem sententiam, quum Eva Adamo prior defecerit a Deo omniumque hominum prima peccaverit, dicit Ecclesiasticus: ⁶⁾ *A muliere initium factum est peccati et per illam morimur omnes.* Quod vero Eva seducta est a serpente, haecce legis in libro Sapientiae: ⁷⁾ *„Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum“* in eandemque sententiam dicit Christus: ⁸⁾ *„Ille (diabolus) homicida erat ab initio.“*

Itaque quum mors, quae praesens est atque adest in mundo, non ad Deum referenda sit auctorem, sed repetenda ab invidia diaboli et superbia peccatoque hominis; tantum abest, ut illa nihil habeat, quod non consentaneum sit homini, ut morte nihil ab illo sit alienius. Quae accidunt tum, quum homo moritur, illa quidem non accidunt *praeter* naturam, neque quidquam fit violatis legibus (quas dicunt) naturalibus. Moritur homo, quod corpus humanum certo modo affectum est; hoc autem effectum est causis, quae antegressae sunt, et hae causae repetendae sunt ab causis prioribus, ita ut, quamvis difficile sit negotium, possit tamen fieri, ut quis inde a primo sono nascentis usque ad ultimum gemitum agentis et efflantis animam persequatur et monstret continuam seriem causarum. Sed hoc, quod vitae humanae certa sunt momenta, quorum alterum enascitur et efficitur altero, nihil habet miri: illud vero profecto permirum est, quod ista momenta universa ad *mortem* tendunt, et quoque quod accedit momento propius acceditur ad interitum, qui adest nulla arte evitabilis; uno verbo ut dicam: quod ipsamet vita est mors perpetua, hoc est, etsi nihil fit *praeter* naturam, *contra* naturam vel maxime. Nam hoc ut fiat, non voluit et auctor est Deus, qui creavit et fecit hominem victurum non moriturum. Ut enim dissocientur duae illae partes, ex quibus conjunctis quum constet homo, dicitur *homo*, id alienum est ab idea vel potius prorsus contrarium est illi ideae, quae Deus voluit, ut esset *realis*, quum creabat hominem eoque creando perficiebat et absolvebat creationem Universi. Quum igitur homo ea lege creatus sit, ut non fiat discessus animae et corporis; qui nunc est dissoluti corporis humani interitus, quod ille est contra legem creationis, idem est quoque *contra naturam* a Deo creatam.

⁶⁾ Eccl. XXV, 33. — ⁷⁾ Sap. II, 24. — ⁸⁾ Joan. VIII, 44.

Tametsi vero mors libris sacris interpretibus aliena est a primitiva natura hominis, atque in hanc sententiam Apostolus ⁹⁾ eam hominis dicit *inimicam*, quae ab Redemptore generis humani *superanda* et *destruenda* sit: attamen interdum mitius de morte loquuntur et libri sacri et S. S. Patres. Sic enim dicunt libri sacri: *morte educi animam e custodia*; ¹⁰⁾ tum, *morte terrestrem domum hujus habitationis dissolvi*; ¹¹⁾ tum, *mortem esse depositionem tabernaculi*; ¹²⁾ porro, *mori esse obdormire*; ¹³⁾ denique, *cum desiderio expectandam esse, quae morte fiat, corporis dissolutionem*. ¹⁴⁾ Gregorius vero Nazianzenus mortem dicit *vitae aeternae natalem*; Gregorius Nyssenus *obstetricem ad vitam vere sic dictam*; Augustinus *provectionem ad civitatem Dei*; Prudentius *praeparationem vitae*: Bernardus *januam ad vitam aeternam*.

His et quae similia de morte cogitata et dicta inveniuntur in libris sacris et apud S. S. Patres, non tolluntur ea, quae supra de morte diximus, neque valent eo, ut mors non aliena ab homine eique inimica judicanda sit. Est enim tenendum et urgendum, Deum non esse auctorem mortis, sed hominem peccatorem invidumque diabolum. Illud vero si spectamus, Christum redemisse nos a peccato et quae inde enata sint malis, moriendum quidem nobis esse, qui simus filii Adae, sed si iidem simus vel evadamus filii Dei, victuros nos esse animo ac resurrecturos a mortuis cum Christo fore ut glorificemur: tum mors praeter illam, quam in ea inesse diximus, hanc quoque alteram habebit vim, quae tamen non tam ad ipsam mortem pertinet, quam ad ea, quae post mortem propter Christi merita nobis sperare licet. Nam qui in Christo justificatus est, ei mors est *janua ad vitam aeternam*, vel *provectio ad civitatem Dei*, breviter ut dicam, justificato valet mors omnia, quae S. S. Patres eam valere volunt. Optima quoque sunt, quae in libris sacris dicta attulimus. Est enim *exoptanda*, quae morte fit, *dissolutio*, quod mortis via pervenitur ad Christum; *obdormiunt* vero morientes ita, ut expergiscantur ad vitam sanctam et beatam; atque *educitur liberata anima ex custodia*, quod, ex quo peccatum est, praegravata materia corporis cohibetur et saepe impeditur, quominus moveatur liberius et perveniat quo tendit ad perfe-

⁹⁾ I. Cor. XV, 25, 26. — ¹⁰⁾ Ps. 141, 8. — ¹¹⁾ 2. Cor. V, 1. — ¹²⁾ 2. Petr. I, 14. —

¹³⁾ I. Thess. II, 13. — I. Cor. XV, 20. — ¹⁴⁾ Philpp. I, 23. —

ctam virtutem vitaeque sanctitatem; est mors quoque *depositio tabernaculi* sed — id quod adjungit Apostolus II. Cor. V, 4. — non ut *exspoliamur sed supervestiamur*, eum ad finem, ut absorbeatur, quod mortale est, a vita; postremo est mors finis omnium malorum, quod ipsa mors ultimum est malum illorum malorum, quae ex peccato nata sunt.


In utramque igitur partem valet vis mortis, ita tamen, ut, quam priore loco diximus vim, sit vis propria inhaereatque in ipsius mortis natura neque ab illa separari possit, dum adest in mundo. Hinc nefas est, esse et constare illam in mundo *redempto*, sed est inimica, quae sit expugnanda, quamque certum sit, sublatum iri; id quod his ipsis verbis testantur libri sacri.¹⁵⁾ Quod vero loco secundo diximus valere mortem, haec vis tota pendet ex redemptione pertinetque ad eos, qui participes sunt redemptionis. Haec quidem vis non ita est in ipsa morte, ut sine illa mors omnino sit nulla ob eamque causam haecce vis non valet in omnes homines, sed tantum in justificatos. Non licet igitur simpliciter dicere, mortem esse finem omnium malorum, vel mori esse obdormire, vel exoptandum ut dissolvatur atque intereat corpus humanum. Namque in peccatorem haec omnia minime valent. Simpliciter et absolute si loquimur, morte nihil a natura humana est alienius. Atque haec quidem vis valet etiam in justificatum. Qui moritur, sive est sanctus, sive peccator, is morte solvit poenam, quam filius Adae debet peccato originali; sed qui *sanctificatus* est, is per mortem liberatur ab omnibus malis, quae ex peccato nata sunt. Quod peccato debitum postquam solvit, nulla eum manent mala; beatificabitur a Deo accipiens coronam justitiae, quam ei reddet Dominus justus iudex,¹⁶⁾ atque vestietur in illa die iterum corpore novam victurus eamque beatam aeternamque vitam.

Peccatoris vero si quaeris quae sit conditio, ille quidem eandem cum sancto luit poenam, quam debet eidem peccato, unde quae enata sunt mala, laborat genus humanum, donec est et vivit in terra. Sed mors *peccatoris* illud non habet, ut mortui desinant omnia mala, sed ut incipiat et nascatur miseria sempiterna. Peccator non ita obdormit moriens, ut expergiscatur beatus; etsi enim peccator quoque resurget, non erit tamen haec resurrectio altera vita sed altera mors.

¹⁵⁾ I. Cor. XV. — ¹⁶⁾ 2. Timoth. IV, 8.

8

Qui sequitur libros sacros sibi que persuasit, mortis eam esse vim, quam illi dicunt; is intelligit, cur etiam justus tum quum appropinquat hora mortis, quamvis magna sit ejus fides, caritas, spes, attamen praeterea indigeat gratia divina, ut piogratoque in Deum permaneat animo sustineatque et superet mortem. Quod enim mors contra naturam est; eam ob causam non absunt sed manent ejus terrores, quippe quibus significetur et manifestetur propria ejus vis et essentia. Unum hoc esse potest, ut homo morte fiat superior vi fidei, caritatis, spei ideoque vi gratiae divinae, qua illae virtutes retinentur et augentur. Quo firmius et fortius divinae illae virtutes infixae inhaerebunt in animo morientis, eo indubitantius et certius sustinebuntur et superabuntur mortis terrores. Neque desunt homines *sancti*, quibus in atris tenebris mortis divinitus adsit lux Clarificationis; unde evidens est, mirum quantum valere gratiam divinam in iis, qui amant Deum, vimque non sublatae sed usque grassantis in terra mortis esse fractam, atque fore ut ipsa mors destruatursorbeaturque in victoria redemptoris. ¹⁷⁾



¹⁷⁾ 1. Cor. XV, 54.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGICI.

ANT. EICHHORN, DR. P. P. O. H. T. DECANUS.

- I. Historiam ecclesiasticam secundi aevi narrabit singulis per hebdomadem diebus h. IX — X.
- II. Jus canonicum tradere perget diebus Lunae, Martis et Jovis h. III—IV.

PETR. THEOD. SCHWANN, DR. P. P. O. H. T. RECTOR.

- I. Introductionem in universam theologiam tradet diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. III -- IV.
- II. Theologiam dogmaticam docere perget iisdem diebus h. X — XI.
- III. Repetitiones disputatorias de rebus dogmaticis volentibus offert diebus Mercurii et Saturni h. X — XI.

MICH. JOS. KRÜGER, LIC.

- I. Evangelium secundum Matthaeum explicabit diebus Martis et Jovis h. VIII — IX, necnon Mercurii et Veneris h. III — IV.
- II. Antiquitates Hebraeorum docebit diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. X — XI.
- III. Praemissa introductione de poëseos hebraeae indole Nahumi vaticinia interpretabitur die Saturni h. VIII — IX.

JOAN. GEORG. SMOLKA, LIC.

- I. Ethices christianae catholicae partem primam tractabit diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. XI.
 - II. Jesaiae vaticinia interpretabitur quater per hebdomadem.
-

B. ORDINIS PHILOSOPHICI.

LAUR. FELDT, DR. P. P. O. H. T. DECANUS.

- I. Geometriam sublimiorem analytice expositam h. II — III diebus Lunae, Martis et Mercurii docebit.
- II. Trigonometriam geographicam i. e. trigonometriam planam, sphaericam et sphaeroidicam ex libro: Sniadecki's sphaerische Trigonometrie &c. übersetzt von L. Feldt tradet diebus Jovis et Veneris h. II — III.
- III. Historiam et naturam disciplinarum mathematicarum inde ab antiquo aevo usque ad nostra tempora adumbrabit diebus Martis et Jovis h. XI — XII.
- IV. De Climatologia, de globis igneis et stellis transvolantibus disseret et usum instrumentorum meteorologicorum ac praxin observandi ostendet diebus Lunae et Veneris h. XI — XII.

MAX. TRÜTSCHEL, DR.

- I. Perget docere psychologiam empiricam quater per hebdomadem, diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris hora vespert. V — VI.
- II. Perget docere metaphysicam quater per hebdomadem, diebus Lunae, Mercurii, Jovis, Veneris hora matutina VIII — IX.
- III. Exercitationes repetitorias et examinatorias instituet die Saturni hora VIII — IX.